

Rep. LXXV.

4. no. 140.



~~109025~~

42504


a

2

RATIO
CORPORIS
JURIS
RECONCINNANDI.

RECORDS OF THE
COURT OF COMMONS
IN PARLIAMENT ASSEMBLED
IN THE YEAR OF OUR LORD
1714

the
of
the
of



Ponit
finis
de
feret
tione
vigen
quate
Provi
to, p
S.
statu
pro
eo
sp
fu
qu



§. I.

IVS ROMANVM vocamus tam quod à Iustiniano Romano Imperatore, quàm quòd à Romanis Pontificibus profectum est; illud *Iustinianicum* dicitur, hoc *Pontificium*.

§. 2. Vtrumque habet per Europam ferè totam. spontaneâ quadam receptione vim *Juris Communis*, & quasi *Jurisgentium Christianarum*; ut valeat quatenus ei speciali Regni, Regionis, Provinciae, Locialicujus Lege, Statuto, vel Consuetudine non est derogatû.

§. 3. Hanc *Autoritatem* hoc rerum statu necessariò retinebit.

§. 4. Quia omnes ei assueverunt: Scriptores in allegando, & fundamentis ex eo petendis; Scholæ in legendo & disputando; Forum in judicando, consulendo, patrocinando. Adeò, ut eæ quoque gentes, quamvis paucae, quæ
A 2 usu

usu fori exclusērunt, Scholas tamen ei aperuērunt.

§. 5. Ideò Iuris Romani authoritas sine totali Rei Iuridicæ mutatione tolli non potest; tolli tamen Vitia ejus & possunt & debent.

§. 6. Iuris igitur Romani consideranda sunt: *Vitia, vitiorum effectus, Viti-
orum Remedia.*

§. 7. Iuri Romano objiciuntur hæc **VITIA**; *Superfluitas, defectus, obscu-
ritas, Confusio.*

§. 8. *Superfluitas* Iuris Romani consistere putatur in Abrogatis.

§. 9. Sed **ABROGATA** ex Iuris corpore, si universale variis gentibus manere debet, ejicienda non sunt, quia alia aliis gentibus sunt abrogata, v. g. *in Hispaniâ* adhuc viget vera *Servitus*.

§. 10. Perlegantur modò illi, qui Abrogata colligere conati sunt; reperiemus, quæ unus pro universaliter abrogatis habet, alterum non nisi, de illius patriâ concedere, de suâ verò vel aliorum contrarium demonstrare.

§. II.

§. 11. Imò in omnibus abrogatis manet nihilominus vera propositio Conditionalis nempe: quòd stante illâ hypothesi, quæ olim fuit, etiam stare jus vetus deberet.

§. 12. Contrà, quòd stante hodiè hypothesi, quæ veteri similis, vel contraria est, etiam ob similem, vel contrariã decidendi rationem, jus hodiernum iuri veteri simile vel contrarium esse debeat.

§. 13. Et ita Abrogata præbent in hypothesi proportionali hodie vigenti, fundamentum decidendi proportionale v. g. *Materia de famulis, de Operis Rusticis, Hominibus propriis hodiernis, ex materia Servorum Veterum; Materia de unione prolium hodiernâ, ex Adoptionibus veteribus capit fundamentum*, Nos tamen operam dabimus abrogatis communioribus, & suis locis, & sigillatim unius Schematis aspectu simul, repræsentandis.

§. 14. *Defectus* Iuris Romani consistit in Antinomiiis, & quòd casus plurimi, in eo non satis decisi sunt.

§. 15. Sed hæc vitia omnibus legibus communia sunt, nunquam enim possunt comprehendi omnes casus.

§. 16. Audemus tamen dicere, nullum extare librum Legum in Orbe terrarum qui plures, & insigniores in omnibus materiis, comprehendat, & decidat casus, quam *Corpus utrumq; juris Romani.*

§. 17. Antinomiam veram, si quæ, sunt, paucæ sunt, à nobis & ipsæ representandæ.

§. 18. Et multâ controvvertuntur, quæ ex Legibus modò confusis sic apparent, nec tamen sunt, verum exercitij tantum causam proponuntur.

§. 19. Optandum tamen, *Casus*, adhuc *controversos* insigniores publicam auctoritate hodiè decidi, & ita *Corporis Juris pæmæria velut proferri*, sed hoc alterius disquisitionis est, & Legibus secundum institutum nostrum in ordinem redactis, *Casibus indecis* eâ ratione clariùs elucescentibus, quin etiam à nobis simul indicatis Autorum eos colligentium locis, magis magisque patebit.

§. 20. *Obscuritas* juris Romani consistit

stit in Styli & Historiæ veterum ignora-
tione.

§. 21. Sed obscuritas hodie satis dis-
pulsata est per *Juris Consultos Recentiores*
Cajacios, Contios Hottomannos aliosque
imprimis postquam potissima ex iis se-
lecta *Dionysius Gothofredus* in notis suis
Textui addidit.

§. 22. Curatus igitur est morbus hic
Legum, nisi quatenus adhuc à confu-
sione trahit alimentum. Interim pluri-
ma egregia ad illustrationem, ornatum,
perfectionem pertinentia desiderari
adhuc posse, nō diffitemur, de quo plu-
ra intra. §. 142. & seqq.

§. 23. *Confusio* autem sola adhuc ma-
xime regnat, & omnia turbat. Ea
enim & sustentat superfluitatem, & de-
fectum & obscuritatem.

§. 24. Quia quamdiu omnia Confu-
sa sunt, non possumus certò secureque
nosse & in numero habere, quid in le-
gibus positū sit, quod poni non debui-
set; nec, quid in iis omissum, quod o-

miti non debuisset; nec quæ Lex aliam explicet, aut emendet.

§. 25. CONFUSIO est Operum *Materia-
riarum & Legum.*

§. 26. CONFUSIO OPERVM
consistit tam in varietate Operum, quã
in varietate Ordinis.

§. 27, *Varietas operum* est, quòd de
dem re agitur sæpissimè in diversis
*Operibus Corporis Juris, nempe & in Di-
gestis & Codice, & Institutis, & Novellis
&c.*

§. 28. Hæc debent inter se conjungi
paralleliter.

§. 29. Et tale opus verè *Basilicum*, &
Regium jam tum annis abhinc circiter
800. moliti sunt Imperatores Orientis:
*Basilius, Macedo, Leo Philosophus, & Con-
stantinus, Porphyrogenneta;* quod vocatur
Opus BASILICORVM, constabatque
ex Libris sexaginta.

§. 30. Sed non pervenit ad nos inte-
grū (in postremâ enim *Caroli Hanniba-
lis Fabroti* editione quæ in Galliâ ex M.S.
Bibliothecæ Regiæ prodiit, defunt libri

no-

novendecim) & loca Iuris Iustiniani in eo detruncata, non, ut desiderantur, integra relicta sunt ; & admixtæ sunt Novellæ sequiorum in Oriente Imperatorum, nunquã in Occidente receptæ ; ideò *Basilica hæc* exemplum magis illustre , quàm exemplar perfectum præbent.

§. 31. Coniungi tamen ex variis libris Parallela sic debent , ut non unum fiat Crama, sed in qualibet materiâ DIVERSITAS IVRIVM, seu quid *Digestis* inductum, *Codice* suppletum : & ex his iterum velut compendio : Institutis repetitum ; *Novellis* deniq; & *Canonico Jure* correctũ sit ; successive in conspectu esse possit, *Adde infra* §. 90. 125. 139.

§. 53. *Varietas Ordinis* est, quod alia Iura alium habent ordinem. Alius enim est in *Digest.* alius in *Codie.* alius in *Institut.* alius in *Decretal.* in *Novellis* verò & *Decreto*, plane nullus.

§. 33. Sed in *Decretalibus* laudandum, quod eodẽ ordine dispositæ sunt, & *Decretales Gregorij, & in Sexto Bonifacij, &*

A 5

Cle-

Clementia, & Extravagantes tam Ioannis quàm Communes; ubi sequentes collectiones neque alios titulos, neque aliam eorum seriem, quàm præcedentes habent;

§. 34. Hæc varietas Ordinis tollitur sublatâ varietate Operum.

§. 35. Sed quæritur utrum opus, utri in commixtione sit accommodandum?

§. 36. Et res ipsa loquitur, non cætera *Institutis accommodanda* esse quia magnum parvo accommodari, sine nimiam partium maioris divulsione, ac contorsione, vix congruè potest.

§. 37. Nec *Codici* sed *Digestis*, quia in *Digestis* materialiarum principia traduntur in *Codice* tantum suppleantur, & specialius, per *titulos particulariores* deducuntur.

§. 38. CONFUSIO MATERIALIARUM, est vel *Generalium* vel *Subalternarum*; vel *Specialium*.

§. 39. MATERIAE GENERALES sunt, in quas totum Ius dividitur, V.G. hoc

hoc

hoc modò: *Generalia Juris & Actionum, Personæ Judicia, Jura Realia, Contractus, Successiones, Delicta, Jus publicum, Jus Sacrum &c.* quam *Dividendi rationem* praxi & usu communi ob commoditatē receptam nos imprimis tenebimus.

§. 40. Horum in *Digestis & Codice* ordo aliquis ad *Edictum perpetuum* compositus, & ita in fundamento similis; sed sæpiùs interruptus, & non uno loco dispersus, tum quia *Edicti perpetui* ordinem hodie conjecturis tantùm assequimur; tum quia *Tribonianus*, regulam ejus sibi propositam, non adeò religiosè ubique servavit. Hanc confusionem monstravimus *duobus separatis Schematibus, Calci Dissertatiuncula hujus subjectis, sub signis O & D.* Ex quibus & apparet, *Divisionem Digestorum in 7. partes* à *Triboniano* factam, uti per se arbitriam, nec certò fundamento nixam ita instituto nostro commodam esse non posse.

§. 41. Sed in earum quidem in Locum substituímus *nostras novem partes*
ex

ex rei naturâ sumptas jam jam §. 39. enumeratas; nihilominus tamen (quod ex Tabulâ collatoriâ ordinis vulgaris, & nostri aliquando ad oculum patebit) ordinem Digestorum principaliter retinentes, iis tantum quæ à sede suâ propria omnium confessione distracta sunt, ad eam reductis; ut singulatim Iura personarum, Iudiciorum item, Contractuum &c. uno certo loco collati, quærentem non amplius fatigent.

§. 42. MATERIAE SUBALTERNAE sunt mediæ inter generales & speciales, v. g. in materia Personarum generali, sub alterna sunt materia: potestatis patriæ, Servorum, Libertorum, Matrimoniorum, Tutela & Cura.

§. 43. In Materiis subalternis retineri plerumque potest ordo Digestorum, v. g. in Digestis (interjectis licet aliis) Materia Personarum eandem ferè seriem habet, quàm §. precedenti posuimus. Nisi quòd materia Libertorum & Manumissionum paulò serius ponitur.

§. 44.

§. 44. Et generaliter observandum duximus, ut ordo Corporis Iuris vulgaris, retineatur & in Corpore Iuris reconcinando, quantum fieri potest; idque memoriæ & reflexionis ad ordinem vulgarem, & commoditatis in evolven- do causâ.

§. 45. *Materiae Speciales* sunt ipsi TITULI in Corpore juris, qui in specialiores non diducuntur, v.g. *de manumissis vindictâ, de pactis dotalibus &c*

§. 46. Titulis autem æquiparandos duximus novâ, sed necessariâ ratione & PARAGRAPHOS INSTITVTORVM & CAPITVLA NOVELLARVM: *Paragraphos* quidem, tùm quia uni sæpè *Paragrapho Institutionum*, respondet integer *Tit. Digestorum & Codicis*, & ille hujus velut *Summarium* continet; tùm quia nonnulli Commentatores eâ occasione ad Paragraphos istos integras materias absolvere contuevêrunt.

§. 47. CAPITVLA verò NOVELLARVM secundùm Editionem Gothofredi

fredi itidem titulorum instar & suis
quæque locis inseruimus, & peculiaria
ipsis, prout aliis, Summaria dedimus,
quia plerumque una *Novella* multa *Ca-
pitula*, ex variis materiis inter se sine
connexione mixta continet; cum tamen
ex ipsa Capitulorum materia in Rubri-
câ *Novellæ* vulgari, non planè enume-
rentur, sed adjiciatur sæpissimè Clausu-
la illa Generalis: *& aliis Capitulis.*

§. 48. *Titulorum* consideranda Con-
ceptio, & Series.

§. 49. *Titulorum* *Conceptionem* in Cor-
pore *Juris* improbârunt, novosque sibi
titulos finxerunt *METHODISTAE*,
*v. g. de homine relatè spectato, de potestate
privata, &c.*

§. 50. Hoc autem, licet per se non
improbandum, in *Reconcinnando tamen
Juris Corpore* fieri nequit, sed retinendi
sunt tituli *Corporis Juris*. Alioqui cor-
ruerent omnia allegata *Doctorum*, in
quibus semper citatur *Lex & Titulus.*

§. 51. *Series Titulorum* *Specialium* in
Corpore Juris posita, satis bona est. *v. g.*

in materiâ manumissionum retineri potest
series Titulorum Specialium, quæ est in lib.
40. Digest. & in lib. 8. Cod.

§. 52. Quia in eâ non multum situm
est, nec interest, v. g. an prius agatur de
manumissione per testamentum, an de ma-
numissione per vindictam.

§. 53. Series enim Titulorû, non ad sub-
tilitatem philosophicam sed *commodi-
tatem practicam* exigi debet, quanquam
ubi vel Nigrum plus Rubro continebit,
vel illi inerunt alia, quæ hoc ampliùs
declarare possint, singularibus signis &
charactere in ipsis Tit. admonebimus.

§. 54. Post Confusionem titulorum
sequitur longè major *Confusio Legum*.
LEGEM appellamus: quamlibet pro-
positionem vel enunciationem in Cor-
pore Iuris principaliter positam, quæ
cum annexis, unam perfectam & per
se stantem Periodum constituit, quo
sensu & *Paragraphi Legum* commu-
niter dictarum plerumque etiam sunt
LEGES.

§. 55. *Principaliter* cùm dicimus, ex
clu-

cluduntur omnia quæ indirectè obiter-
que ad aliud confirmandum proban-
dum illustrandum apposita sunt: ea e-
nim à principali etiam in Reconcinna-
tione divelli non debent, sed unam cùm
eo periodum Legemque canstituunt.
Alioqui sensus, & vis illationis imperfe-
cta, & mutila redderentur. Propositio-
nes enim obiter emergentes singulas
suis locis annotare, *Judicis Alphabetici,*
& *Digestionis remissiva*. non verò *Recon-*
cinnationis, sed *Digestionis* Leges justo
loco in naturâ, & ut jacent, totas repræ-
sentantis, opus est.

§. 56. CONFUSIO LEGVM
est partim *Dispersio*, partim *Perturbatio*.

§. 57. DISPERSIO LEGVM est,
quòd plures Leges eodem pertinentes
non sunt positæ in uno loco seu titulo;
sed in diversis.

§. 58. *Interdum enim Lex, ad duos titu-*
los heterogeneos pertinens, in alio ponitur,
in alio non ponitur. v.g. in Tit de jure dotiũ
ponuntur Leges de pollicitatione, stipula-
tione, acceptilatione, usuris, usufructu pi-
gnore

gnore dotium, &c. Tales & ad Titulum de
Jure dotium, & ad Tit. de pollicitatione,
stipulatione &c. referri possunt.

§. 59. Hic dispersionis gradus est in
toto jure frequentissimus, cæterum in
tali casu, ea ipsa lex in uno titulo ponē-
da est in naturâ. & in altero tantum
summariū ejus: illic verba integra
exponenda, hîc numerus tantum &
verba legis initialia alleganda.

§. 60. Ponenda autem est integra Lex
in eo titulo ex quo ratio decidendi pendet, &
eui magis propria est. v.g. Si legis alicuius
de stipulatione dotis decisio pēdet ex natura
stipulationis. & ita non solū in dotis, sed &
alia v.g. pœna stipulatione obtinet, referēda
Lex est ad Titulum de stipulatione, seu ver-
borum obligatione; Sin aliter, referenda
ad Titulum de dote. Eâque in re magna
cautio ponenda est, ne primariæ sæpè
materiarum sedes alienis Titulis per oc-
casionem in dispersæ loco non suo pere-
grinentur, fugiantque quærentem.

§. 61. Interdum Lex non ponitur in Ti-
tulo ad quem pertinet, sed in titulo homoge-
neo

meo. v. g. in tit. Cod. de appellationibus ponuntur quæ pertinent ad Tit. Cod. de temp. Apell. & contra. Huic dispositioni in jure neq; rarissimæ, neq; frequentissimæ, faciliori negotio occurri potest.

§. 62. *Interdum Lex non ponitur in Tit. ad quem pertinet, sed in plane heterogeneo,*

§. 63. Adèd ut sæpe multorū librorū intervallū intercedat Leges quæ se tamē invicem explicant, suppleant, limitant, ampliant, emendant, abrogant. Quas potiùs immediatè sibi jungi deceret. Hoc dispersionis genus, ut rariùs præcedentibus, ita emendatione maximè indiget.

§. 64. *Interdum unius Legis Paragraphi ad varios titulos pertinent.* Quæ omnia ita notoria & passim obvia sunt ut non indigeant demonstratione.

§. 65. PERTURBATIO LEGVM est, quando eæ quidem positæ sunt, in uno titulo; sed ordine confusissimo, Cujus rei specimen in tit. ff. de Proc. itidē ad calcem adjecimus. sub signo. ♀.

§. 66.

§. 66. Quin imò de Legibus Titulo-
rum disponendis *Tribonianum* curâ quã
doque vacasse luculenter monstrant
duo illi *de verb. signif. & Reg. Jur. Tituli*
ex professo Miscellanei, modò genera-
lia modò specialia continentes, qui pro-
pterea & peculiari studio nostro magis
parebunt

§. 67. Debent autem Leges quolibet
Titulo disponi secundum LOCOS ma-
teriæ TOPICOS, quales sunt: *Forma*
Finis, Efficiens, Subiectum, modus causan-
di, objectum, effectus, contrarium.

§. 68. Quo pertinent CIRCUM-
STANTIAE: *Quis, quid, ubi, quibus*
auxiliis, cur, quomodo, quando.

§. 69. In compilando respiciendi qui-
dem sunt loci *Topici*, sed potiùs expri-
mendæ *circumstantia*.

§. 70. Nam populariùs, clariùs, ac-
curatiùs tractabimus: *Quis Procurato-*
rem dare possit, quis dari, quomodo con-
stitui; quid facere possit, quid debeat,
quomodo esse desinat; quàm si ejus for-
mas, causas, effectus, subiecta, objecta,
alia

aliaque metaphyfica ambigua & remota ingeffisse accufemur.

§. 71. Hactenus de Iuris Romani *vitis*, EFFECTVS horum VITIORVM funt omnia illa mala, quæ nunc in rem Iuridicam incurrere, quæ omnia enumerare neque instituti noſtri, neque ſpatii eſt.

§. 72. Illud tantum quaſi per fatu-ram adjiciemus, à *Confuſione Corporis Juris* ortam eſſe & *neglectionem* Lectio- nis ejus; &, ſi quis eam forte acceſſiſſet, difficultatem reperiendi conjunctamque cum incertitudine ac moleſtiâ ex variis locis combinandi neceſſitatem.

§. 73. Ab his porro ortum eſt, quòd paulatim *Doctores magis* in foro attendi & in ſcholis citari coepere, quam ipſæ *Leges*.

§. 74. Præfertim cum Stylus eorum & Genus loquendi, & Exempla Caſus- que, Opiniones denique, noſtro ævo accommodatiores iis appareant, qui parum

reant, qui parùm solliciti sunt in inda-
gandâ Historiâ, antiquitate & genuinis
verbis ipsarum L.L.

§. 75. Patefactâ semel Doctoribus,
authoritate cœpère numerâri sententiæ,
crepari *Communes Opiniones*, imò *Com-
munes contra communes*.

§. 76. Ita Ius infinitum, incertum
impërceptibile, arbitrarium, anti-
quum denique chaos reddi clamârunt
plurimi.

§. 77. Et sunt quidã in ipsam Iurispru-
dentiam ejusque cultores contumeliosi
adeò, ut jactare audeant, omnia pro,
& contrâ defendi posse, nulla esse
principia justitiæ certa, quò nihil mi-
ferius, nihil ad priniciem Reipublicæ
validius.

§. 75. Vt taceamus retardationem Iu-
ventutis in Scholis, cumulationem Litiũ
in Foro, acervum infinitarum allega-
tionum non ipsarum LL. tantùm sed &
DD. eorumque opinionum in Libris,
ex hac unicâ scaturigine duci, quæ quã-
to magis nundinatim augentur tanto
magis jura confunduntur.

§. 79.

§. 79. Atque hinc simul apparet, cur Nobiliora, & ad res gerendas nata ingenia, indignatione quâdam, & velut nausêâ conceptâ, secessionem à Iure-Consultis jamjam moliantur, magisq; inclinent juris naturalis & historiarum jucundio-rem potius ductû sequi, quàm hæ- rere inter tot ambages obscuri juris.

§. 80. Aliud haud dubiè factura, si quis eis viâ securâ breviq; & amœnitatem IVRIS ROMANI, & cum naturali ratione Harmoniam satis ac facile degustandam præbeat.

§. 81 Quod non toties repetitis Disputationibus, perpetuis controversiis, prægrandibus commentariis, innumeris allegatis, animum generosio-rem & ad alia properantem, deterrentibus; sed rei ad ipsa principia reductione, accedente selectarû amœnitatum, velut condimento, effici tandem speramus.

§. 82. Hæc enim copia nimia, hic torrens sisti non potest, nisi fonte obstru-cto id est sublata *Juris Confusione*, quod unicum tot vitiorum remedium restat.

§. 83.

§. 83. Confusio ea, tolletur reductis, redactisque in ordinem ipsis Legibus, id est **CORPORE IVRIS RECONCINNATO.**

§. 84. *Reconcinnationem bono cum Deo*
 „ Sic paramus (I) *Retinebitur. Textus*
 „ Corporis Iuris, ut jacet, nullo neque
 „ dempto, neque addito, neque mutato.

§. 85. Neque enim institutum nostrum est Leges excerpere, truncare, controversare, applicare, *Argumenta Textus* abundanter nimis, & sæpè minus ad propositum extendere.

§. 86. Nec animus est *Paratitla, Analyses, Syntagmata, Dispositiones, Ideas, Introductiones, Collegia, Exercitationes,* & tot alia nomina condere, quæ **AVTORES SYNTHETICI** suis laboribus, sat laudabilibus hætenus indidère.

§. 87. Nam si quisque sibi sumit *Leges* jam ex ff. quidem, jam ex C. *digerere*, nec tamen omnes exhaurit; nec ea tantum, quæ manifestissimè & in terminis dicunt, adfert; neque etiam à *Controversiis* aut *DD. sententiis* abstinet; tum & multiplicatur res in infinitum, & ni-

& nihilominus labor manet imperfe-
ctus.

§. 88. Quia nulla *perfectionis*, nulla
certitudinis spes est. quam diu deest
(quæ hæctenus defuit) *Proba securitatis*,
quæ nos dubitare non sinat, de omni-
bus *Titulis*, omnibus *Legibus*, omnibus
denique *Legum Paragraphis* exhaustis,
& in justum locum redactis.

§. 89. Id verò præstabitur in *Corpore*
Juris reconcinato, quod unicum infini-
torum ejusmodi *Paratitlorum*, *Analyseon*,
&c. instar erit.

„ §. 90. [II] *Libri* juris in unam con-
„ sonantiam jungentur, sic tamen, ut
„ uno obtutu apparere possit, quid
„ Codice vel Digestis &c. haustum sit
„ Adde quæ diximus. §. 23. --- 31.

„ §. 91. [III] *Retinebuntur Tituli*, seu
„ *Rubricæ* in *Corpore Juris* jam ex-
„ tantes, per ea quæ diximus. §. 48.
„ 49. 50.

§. 92. Hi *Tituli* [IV] primùm à no-
bis digerentur in *Materias Generales*
velut partes principales juris universi
& to-

& totius operis nostri, ad imitationem illarum 7. Partium, in quas ipsos Pandectas, quamvis sine ullo doctrinae vel memoriae iuvamine hactenus cernimus divisos. Et erunt quidem hæ nostræ partes numero *Novem* ipsi Ordini Digestorum perpetuò currentiejusque rationi simul ac praxi receptissimæ satis consentaneæ, junctis tantum securitatis causa iis *Titl. Libris, LL. &c.* quos jam à principio jungi decuisset, quique non juncti, præsentem nunc nobis quam omnes plangimus generarunt obscuritatem; veluti:

[I] Generalia Juris & Actionum
 [II] Iura Personarum [III] Iudicia,
 [IV] Iura Realia. [V] Contractus.
 [VI] Successiones. [VII] Delicta.
 [VIII] Ius Publicum. [IX] Ius Sacrum.
v. etiam §. 40. supra.

„ §. 93. [V] Materie generales digerentur it *subalternas* ordine, ve eri Corporis Juris partim servato, partim tibi opus, mutato; per ea quæ diximus. §. 42.

B

§. 49.

- §. 94. [VI] *Materia* subalte rnae dige-
 „ rentur in *Speciales* servato ordine vul-
 „ gari Corporis Iuris, per ea quæ dixi-
 „ mus, §. 51. 52.
- §. 95. [VII] Ordo Corporis Iuris ve-
 „ tus servabitur, ubi servari commodè
 „ potest, per §. 54. & §. 92. In primis
 „ autem *Digestorum*, ita ut tituli Digesto-
 „ rum *Directores* sint, cæteri ex *Cod. Inst. Novel. Decretal.* memoriâ locali quan-
 „ tum fieri potest invicem etiam servatâ,
 „ *subordinentur*. per §. 36. 37.
- §. 96. [VIII] *Leges* vel Paragraphi ad
 „ eundem titulum spectantes colligen-
 „ tur in unum. per §. 56. *seqq.*
- §. 97. [IX] Disponentur sub eo ordi-
 „ ne naturali *circumstantiarum* per §. 67.
 „ 68. 69. 70.
- §. 98. [X] Si Lex *ad plures titulos* re-
 „ ferri potest, ponetur sub eo, ex quo
 „ pendet ejus *ratio decidendi*. Sub alte-
 „ ro tantum citabitur per verba initialia
 „ §. 5.
- §. 99. [XII] Res per *Indices* sic dirige-
 „ tur, ut Tituli & Leges Corporis Iuris
 „ ita

„ ita ut nunc à Doct̃oribus citantur ,
 „ mutato licet ordine, etiam in Corpore
 „ Iuris reconcinnato facile inveniri
 „ possint.

§. 100. [XII] Denique *proba securi-*
 „ *tatis* velut Arithmethica habebitur,
 „ quæ in eo consistet , ut certo sciamus
 „ nullum à nobis Titulum , nullam Le-
 „ gem Paragraphumque omissum , o-
 „ mnia observata , digesta , suo loco
 „ inserta esse Quâ de re satis prospe-
 „ ctum est per supputationem , & velut
 „ Arithmeticam calculi subductionem.
 „ de probæ hujus formâ infra §. 137. 138.
 „ 139. 140. ampliùs.

§. 101. Satis delineavimus quale
 futurum sit **C O R P V S I V R I S**
R E C O N C I N N A T V M,
id est : nihil aliud quàm Systema Le-
 gum omnium , prout singulæ in Cor-
 pore Iuris verbotenus jacent , & in
 naturâ reperiuntur, justo ordine dige-
 starum.

§. 102. Sed antequam integræ Leges ita digestæ excudentur, præmittemus *Repræsentationem Corporis Juris Reconcin-*
nati, velut Ideam, Schema, Diatyposin ordinis justæ.

§. 103. Idque imprimis ut aliorum iudicia exploremus, ac si quæ cordatè & candidè admonebuntur, re adhuc integrâ emendemus.

§. 104. Publico verò calculo accedente & favore principali corroborante poterunt faciliori negotio ipsæ Leges integræ (quem Scopum inde usq; ab initio respeximus.) Verbotenus, eo quo repræsentabimus ordine, ipsis Typis, bono cum Deo, exhiberi.

§. 105. Quo tamen labore nobis primariò propositum est, non Corpus Juris vulgari ordine conceptum e Scholis tollere, sed declarare; non authenticâ vi & approbatione fori privare, sed ad ipsam praxin accommodatius reddere; non omnem ejus auctoritatem, & fundatas in eo Doctorum allegationes ac omnia eorum scripta hæctenus di-
vul-

vulgata uno quasi ictu evertere, sed ordinis splendore illustrare; denique illud efficere ut *Corpus reconcinatum veteris* non *Successor*, sed *Comes* habeatur.

§. 106. In hâc **CORPORIS IVRIS RECONCINNATI REPRAESENTATIONE** erunt quædam principalia, quædam *Accessoria*. *Principalia* erunt Legum expressio, Legum Dispositio, Summarium Tituli, Proba securitatis.

§. 107. Nam & enumerabuntur *Leges*, ut nobis videntur disponendæ, & inferetur eâdem operâ disponendi *Ratio Legumque Nervus*; denique *Proba* adjicietur.

§. 108. Ut ita *Representatio* hæc ab ipso *Corpore Juridico Reconcinato* non aliter differat, quàm quòd repræsentationi integra Legum verba desunt; etsi ea ita comparata sit, ut, qui velit, ipsas *Leges* in naturâ substituere non difficulter possit.

§. 109. *Expressio & Allegatio Legum* omnis fiet & literis initialibus, & numeris; *literis initialibus* solis veteres *nume- ris* solis plerumq; moderni citant.

§. 110. Prius molestiæ, posterius incertitudinis causâ est.

§. 111. Sentimus hodiè & conqueri- mur omnes, quàm summè lubrica sit per numeros citatio, quàm erroribus Typographorum & descriptorum lap- sibus obnoxia, præsertim impressi- bus Operum sæpè repetitis vitia augen- tibus magis, quàm tollentibus, in qui- bus nonnunquam vix tertiam allegato- rum partem veram esse, evolventes non sine molestiâ experiuntur. Quæ res maximè in præclaris *Dionysij Gottho- fredii* ad universum Iuris Civilis Corpus *notis* deploranda est.

§. 112. Ideò nos utramque, & per *numeros & per initialia verba citationem* perpetuò jungemus; & in numeris ipsis citandis novâ quadam, & hactenus non visâ, commodissimâ tamen, & securissimâ ratione utemur, omni la-
psûs

psès metu, & revidendi necessitate præ-
clusâ.

§. 113. Sed quoniam in variis *Juridicâ*
Corporis editionibus Leges varie nume-
rantur, inchoantur, dividuntur; quod
in Paragraphis Legum imprimis elu-
cet, olim plane non numeratis, sed ex
Allegantium arbitrio distinctis; ideò
semel in universum profiteamur editio-
nem *Corporis Civilis Gothofrediani* à no-
bis perpetuò respectam esse. Hæc
enim cæterorum editorum omnium
Haloëdri, Hervagij, Hugonis à Portâ, Tor-
rentini Pandectarum Florentinarum pri-
mi Emissoris, *Ruffardi, Contij, Baudoze*
&c. luminibus offecit; & elegantia &
commoditate princeps.

§. 14. Etsi hanc quoque (add §. III.)
appareat laborare quibusdam navis; sic
in Distinctione Paragraphorum vel
versum debuisset toties inchoari &
numerari novus, quoties novus casus
novâ periodo decidi incipit; quod ta-
men cum factum non sit, auxit operis
nostri difficultatem, v. g. in *L. filius fa-*

B 4

mi-

miliās. §. principio. Quatuor periodi ponuntur, prima continet: Filius Familias ad agendum dare procuratorem potest; secunda: uem ad defendendam; Tertia: uem filia Familias ad agendum; Quarta: Filius procurator dari potest. Cum autem in Digestione necesse sit separari eum qui procurator dari potest, ab eo qui eum dare potest; manifestum est, Quartam minimū periodum, peculiarem Paragraphum constituere in numerando & inchoando, debuisse.

§. 115. Apparet autem *Varietas editionum* in *Novellis* maxime, has enim Veteres aliā prorsus ratione, & ut ipsi vocant per *Collationes & Titulos* diuiserant, *capitulis* etiam peculiari rubrica carentibus, & in *Paragraphos* commutatis; quam ad rem opus erit peculiari *Indice ac Schemate* comparationis, suo loco producendo.

§. 116. Prætereā *Novellas* quasdam veteribus ignoratas primū *Jacobus de Bello Visu*, deinde *Haloänder, Scrimgerus, Cujacius*, & ad extremum *Contius* addidēre

dêre, donec in hanc formam excresce-
rent, quâ nunc utimur. Vnde factum
est, ut aliæ *Novella Latina tantum*, aliæ
& Græcæ habeantur; ut taceamus va-
riè à variis *Rubricas* concipi, aliter enim
vulgata, aliter *Haloandrina*, aliter *Index*
Cujacio adhibitus, Novellarum Capitu-
lorumque inscriptiones expresserunt.
Quæ omnia à nobis suo loco exhiben-
tur.

§. 117. Et hæc de ratione enumeran-
darum atque exprimendarum Legum
in repræsentatione Corporis Iuris Re-
concinnati à nobis faciendâ, quæ tamẽ
non cruda & nuda erit, sed una eadem-
que opera & ratione disponendi per lo-
cos, & circumstantias (vid. suprâ §. 66.
67.) & ipsius Legis velut nervo & sum-
mario vestita.

§. 81. Non tamen ea allinemus quæ
Lex, per consequentiã tantum dicit; hoc
enim ad Controversias & Notas perti-
net; neque quæ obiter dicit, id enim
Indicis est; sed quæ ex professo dicit,
ita ut ipsa integris verbis huc transferri
possit.

B 5

§. 119.

§. 119. Talia Summaria Legum ejusdem propè brevitatis erunt cujus Gothofrediana; sed quod Gothofrediana non faciunt, integrum sensum constituent. Gothofrediana enim summaria tantùm inde finitè concepta sunt, & *Rubricæ* potius vel *Indicis* , quàm *Summary* rationē habent, quod contrà est in nostris.

(. 120. *Verbigratia* : Leges quædam, Procuratoris Causam efficientem continentès à nobis si proponuntur: *Procuratorē dare potest filius, & filia familias, L. filius familias 8. princ. l. servū 33. princ. D. de Procurat. qui de statu suo litigat. §. Eum verò, 1. Patron⁹ contrà Libertum, & è converso, in judicio ingrati l. sed & hæ. 35. §. Patronus. non potest: servus, l. servum 33. princ. non populari judicio agens, nisi ejus inter est, l. licet in 42. non Tutor, & curator, & Procurator nomine principalis, nisi litem contestatus l. neq; Tutores, II, C. eod.*

§. 121. GOTHOFREDVS verò easdem

dem Leges sic sumat: *De filio, & filia familias* l. filius familias. 5. princ. D. de Procurat. de pupillis, adultis & eorum Tutoribus, & curatoribus. l. neq; Tutoret II. C. eod. de servi & filij familias Procuratore l. servū quoq; 33. princ. D. eod. de eo qui de statu suo litigat d. l. servum quoque 33. §. eum verò 1. de liberti ingrati accusatione. l. sed & hæ. 35. §. Patronus 1. ad quas actiones procurator dari potest, (addi debuisset: de actionibus popularibus, quæ sole in ea lege tractantur) l. licet in 42. princ.

§. 122. Sed *Gothofredus* vix potuit aliter, nisi voluisset *Summaria* sua nimis excrescere, quia eadem alias sæpissimè repetere debuisset, ob Leges, licet eodem tendentes, in ordine vulgari variè dispersas.

§. 123. Nobis verò, redactis in ordinem Legibus, eadem brevitate multò plus complecti licuit, quia ob rerum sibi rectè connexarum seriem possumus idem prædicatum multis subjectis simul collectis, vel è converso, præfige-

re, ut ita singulari compendio & claritate tota Sententia emergat, quod in exemplo præmissio patet.

§. 124. Sed præter summaria Legum, ex ipsa earum repræsentatione & dispositione velut aliud agendo emergentia, præfigetur cuilibet Titulo Summariium tituli ipsius, idque à Legum Summariis tum formam differt, tum magnitudine.

§. 125. Formam, quia Leges ejusdem materiae ex *Digest. Codice, Novellis* inter se jungentur; sed Titulis Dig. & Cod. Capitulis item Novellarum separata singulis Synopsis præfigetur; idque ut in ipsam commixtione Iurium (veteris, novi, novissimi) originis diversitas elucescat magis, de quo supra §. 31. & 90.

§. 126. Magnitudine, quia in Summario Tituli unam sæpè Sententiã plurimarum Legum nervus continebitur, v. g. in exemplo proximo Summariium tituli hoc tantum dicet: *Procuratorem dare potest in rebus suis qui præesse iis jure potest; in alienis liber homo ex Speciali*

ma-

mandato. Ex quo omnes illæ Leges §. 120. enumeratæ, & plurimæ aliæ ibi omiffæ spontè fluunt.

§. 127. Necessariū hoc est, ne dispersus per speciales Legum casus animus rem difficilius ad universalia revocare possit, cū tamen ad solidè judicandum, & scientiam consequendam nihil sit universalis regulâ optabilius.

§. 128. Complectuntur autem Summaria: Tituli vel capituli continuationem, Rubricæ explicationem, Materię denique principia.

§. 129. Continuationem Tituli inferuimus quam is habet in Corporis Iuris ordine vulgari, sicubi ea singularis, nec statim obvia est, quia ex ea apparet, quā variè idem titulus variis materiis applicari possit, & ipsa memoria localis, ac reflexio ad ordinē vulgarem tantò meliùs excitatur.

§. 130. Ita tamen, ut ab anxiiis quibusdam & longiùs petitis methodi Instinianæ excusationibus, quas Oeconomiarum, Tabularumque Scriptores (à nobis suo loco referendi) in
mini-

minimè quibusq; salvandis, ex professo susceperunt, abstinerimus.

§. 131. Complectemur quoque Explicationem Rubricæ, quam eum in finē in partes secuimus, ut singula verba, eum merentur, commodius illustrare liceret.

§. 132. Eà occasio vocum Etymologiæ notabiles, *Definitiones* item & Homonymiarum exclusiones, ad intelligentiam Tituli necessariae accesserunt: nec omissi sunt *Ritus Veteres*, siubi ad intelligentiam termini requirebantur.

§. 33. In summaris Tituli exponeamus principales ejus regulas, & velut *Principia Materia*, undè decisiones casuum omnes pendent.

§. 134. Hinc necessarium duximus ea imprimis in illis annotare, quæ non naturali ratione & æquitate constant, sed *arbitrio Legislatorum sunt recepta*; quia talia memoriæ sunt, non judicij: atque idèò diligenter animis imprimenda.

§. 135

§. 135. *A Controversiis* verò abstinuimus, purum hunc Iuris fundum, quasi purgatum quoddam Novale, omnis generis frugiferendæ accommodatum, omnibus præstituri.

§. 136. *Allegata* Legum summariis Tituli non inseruimus, quia ipsæ Leges ijs subjectæ, & per notas quasdam applicatæ, eam vicem sustinebunt.

§. 137. **P R O B A S E C V R I T A T I S**, denique Repræsentationi adjicietur, ea erit tam *particularis* quàm *universalis*:

§. 138. **P A R T I C V L A R I S** præfigetur cuilibet Titulo, ac separatim *Titulo Digestorum* separatim *tit. Cod. &c.* quia nihil aliud erit, quam recensio omnium Legum, & Paragraphorum tituli eo ordine, quo in in ipso vulgariter jacent; & ostensio in singulis facta, quòd & quo loco à nobis nostræ Reconcinationi sint insertæ.

§. 139. Quâ ratione, & certi erimus, de toto titulo exhausto; & apparebit, quid à nobis in quâlibet materia ex *Digest.*

gest. quid ex *Cod. &c.* sumptum sit,
de quo supra admonuimus. §. 31. 90.
125.

§. 149. PROBA VNIVERSALIS
subjicietur operi vniverſo, quæ univer-
ſalem omnium Legum ſecundum ordi-
nem vulgarem recenſionem, & ad or-
dinem novum applicationem contine-
bit; tùm, ut certò ſciamus totum Iuris
Corpus in Digerendo exhaustum eſſe;
tùm, ut leges ſecundum ordinem Cor-
poris vulgaris à Doctoribus citatæ, ſta-
tim inveniri poſſint & in Reconcinato,
Add. §. 98. ſeqq.

§. 141. Hæc igitur *principaliter* RE-
PRAESENTATIONEM COR-
PORIS IVRIS RECONCINNATI
ingredientur. Nunc Accessoria quoq;
quæ ejus commendandæ & illuſtrandæ
causâ ſupervenient, breviter perſtrin-
gamus.

§. 142. ACCESSORIA hæc partim
ad *Titulum*, partim ad *Leges*, partim ad
materias, partim ad *univerſum* applica-
buntur.

§. 143.

§. 143. TITVLI ipsius Rubricam ac
 summarium illustrabunt : Contenta
 Tituli *ultra Rubricam*, *Actiones* ex eo
 manantes, *diversitas rubri à nigro*, *diver-*
sitas circa Titulorū Conceptionem Codicis
à Digest. &c. quæque in uno materiae ab
 altero neglectæ; *differentia* item Juris
 veteris, novi, novissimi; civilis & Pon-
 tificij: item *varia Titulorum Lectiones*,
varia eorundem cum aliis titulis,
cognationes, & *differentia*: *varij* Titu-
 lorum *Indices* alphabetici, verborum
 initialium, materiarum, utriusque; *va-*
ria Titulorum Schemata & Tabula re-
 præsentantes eorundem in diversis Cor-
 poris Juris voluminibus harmoniam
 inter se, *Rationem Ordinis* Corporis
 vulgaris, *Rationem ordinis* variorum
Methodistarum, *Rationem* quoque ju-
 stificatoriam *ordinis nostri*, singulis de-
 niq̄ue titulis peculiari modo Autores,
 qui *materias cognatas* singularibus
 tractatibus complexi sunt, adjicientur,
 quæ

quæ res parvæ cujusdam *Bibliotheca Juridice* vim continebit.

§. 144. LEGIBVS ACCEDVNT *Antinomiarum, concordantiarū, Parallelismorum, Subordinationum, Illustrationum mutuarum observationes, quem in usum nec Sacra Scriptura nec Caji, Pauli, Ulpiani cæterorumq; Ictorum veterum fragmenta; nec Codex Theodosianus, nec Novellæ sequiorum in Græciâ Imperatorum, nec libri Basilicorum (quorum ultima editio, Gothofredo posterior nova multa suppeditare potest.) nec alij Legum veterum ac Recentiorum celebriorum libri negligentur.*

§. 145. In ipsis autem Iustinianeis Legibus distinctiones *graduum* per signa quædam exprimentur, vt appareat quæ Leges sint magis necessariae, ac velut *Classicæ*, sed *sedes materiæ*, quæ utiliores & *πρακτικώτεραι*; contra, quæ difficiles, & ut quidam nocant: *Candidatoris*; quæ minus usitatae, quæ *planæ abrogatae*: unde eâdem operâ differentiâ *Theoriæ & Praxeos* elucebit.

§. 144.

§. 146. Circa **MATERIAS** *idee* quaedam & *Synopses*, in singulis partibus generalibus compendiose a nobis exhibebuntur; ita præsto erit brevissima synopsis juris universi, Magistratum, Poenarum, Delictorum, Processus, Actionum, Matrimonialium, Contractuum, Feudalium &c.

§. 146. Huc & *Recentiorum* quarundam famosarum *Legum*, uti Nemeseos Carolinæ, Constitutionis Maximiliani de pace publica: item de Notariis &c. illustratio, & repræsentatio referetur.

§. 148. In his igitur diversis selectis & curiosis novâ quâdam ratione veri ac varij ut sic dicam *Tractatus Tractatum* Veterum & Recentiorum velut *in nucleo* exhibebuntur, & hodierna jura ac mores quasi in tabula apparebunt, suamque cum veteribus harmoniam ostendent, quod in jure quoque publico & utile erit, & jucundum.

§. 149.

§. 149. Lucem denique VNIVER-
 S A L E M Toti inferent omnia
Schemata, Indices, Idea, Synopses, Tabulæ
 per varias materias titulosve diffusæ.
 Quales plurimæ jam præparatæ sunt, &
 sub manibus indies nascuntur, appli-
 cantes jus nostrum ad *jus nature* hodie
 per Grotium & similes alios resuscita-
 tum; ad jus Divinum *Theologiam, Histo-*
riam, Geographiam, Philosophiam, Philo-
logiam, Oeconomiam, Politicam, Rem mi-
litarem, Medicinam, Mathesin, Poësin
 quoq; & rem Metricam variis carmini-
 bus hinc inde insertis, & memoriæ utili-
 bus, & Lectioni jucundis, materias &
 titulos juris nostri illustrantibus.

§: 150. Erunt fortè qui nos in
 Aulâ & apud Iudicia suprema ver-
 santes, tantùm nobis sumere mira-
 buntur, sed hi sibi persuadeant: ani-
 mos ad universalialia respicientes, & om-
 nium Harmoniam attendentes, & va-
 riorum Authorum instituta, & metho-
 dos inter se comparantes facilè com-
 moditates quasdam advertere potuisse,
 qui-

quibus difficultates etiam insuperabiles
vulgò visæ complanentur.

§. 151. Credant potiùs, nos tot scien-
tiarum Affinitates non ad ostentatio-
nem, verum ad condimentum imò &
complementum junxisse, quo sanè ca-
rere non possumus, si quam, & vel ma-
ximè nostram hanc juris ac justitiæ, ne
dicam universalis, artem perfectam ap-
petamus.

§. 152. Ita habes *Benevole Lector* In-
stituti nostri in antecessum quidem, &
Rationem, & Formam; videbis facile, si
Tibi Librorum hujus temporis cogni-
tio est, Rem, si vota omnium spectes,
veterem, si executionē, imò & si ipsam
Ideam & modum consideres Novam.

§. 153. Vbi si qua adhuc obscurius
dicta videntur, sententiam contine, ul-
que dum Opus ipsum introspexeris; cui
quædam reservanda fuisse, ipse facile
cogitabis.

§. 154. Hoc interim contestamur
sincere, nos, quibus & majorum conti-
nuâ

nuâ Doctrinâ , & studio nostro honestè vivere concessum est , non alio stimulo impulsos fuisse , quàm nostra hæc statim ab ingressu cursus Juridici agitata , publico communicandi lubentissimè ; gratulaturi nobis , si modò hunc velut Indicem puri denique ordinatiq̃ue Iuris nostri videbimur subministrasse.

§. 155. Omnem tanè operam ac Laborem impendemus conatibus hiscè nostris in lucem proximè emittendis, quantum gratia Cœlestis , quantum principalis indulgētia affulserit, quantum denique concesserit valetudo. Tu tantum, *Lector optimè*; quæ probas, ne carpe, quæ improbas , his meliora admo- ne, agnoscemus & assentientis Candorem, beneficium & emendantis; stimu- labimurq̃; ad alia æque nova, ac præpara- rata (horū modò fortunam expectan- tia) producenda.

§. 156. Summis verò illis ac Ter- rarum Moderatricibus Animabus nobiscum à D E O & perpetuam
pacem

pacem inter se , & in eâ justitiæ , ad
Theodosij , Justiniani , Imperatorum
 vel uno hoc conatu famæ æternitatem
 meritorum exemplum , restituendæ
 otium curamque : nobis verò & Ea-
 rum in lābores nostros propensionem
 constantem & valetudinem se-
 cundam precare ; ac quandò
 hoc unum superest ,
 Vale.





APPENDIX.

Schema I. Sub Signo. ☉.

pertinet ad §. 41.

Partes. Libri. Series Digestor: Tituli.

I	-	(1)	Generalia	---	1 - 4
			Personæ	- -	5 - 7
			Realia	- -	8
			Jus publicum	-	9 - 22
		(2)	Judicia	- -	1 - 13
			Contractus	-	14. 15
			(3)	Judicia	- -
		Delicta		- -	2.
			Contractus		5.
		II.	-	(4)	Generalia
Judicia	- -				1
(5)	Successiones			- -	2 - 6
	(6 - 10)			Realia	
(11)	Judicia			- -	1 2
	Realia	- -	3 - 8		
III.	-	(12)	Contractus	- -	1. 4. 7
			Judicia	- -	2. 3.

IV. a

IV. à lib. (13-21.) Contractus

20. 22. Contractus 1 2
Judicia - - 3. - 6

(23-27.) Personæ -

(28-36.) Successiones

Vl. (37.) Successiones - 1. - 13.

Personæ - - 14. 15.

(38.) Personæ - - 1. - 5.

Successiones 6 - 17.

(39.) Realia - - 1. 2. 3.

Jus publicum 4.

Contractus 5.

Successiones 6.

(40.) Personæ

(41.) Realia

(42.) Judicia

(43.) Realia

(44.) Generalia - 1. 5. 7.

Judicia - - 6.

Vll. (45-46.) Contractus

(47.) Delicta

(48.) Delicta

(49.) Judicia - - 1. - 13.

Publica - - 14. - 18.

(50.) Publica - - 1 - 15.

Generalia - 16 - 17.

C

SCHE.

SCHEMA II.

Sub Signo C.

pertinet itidem ad §.41.

Lib. ff.	Lib. Cod.	Series Cod.	Tit. Cod.
	(1.)	Jus Sacrum	1 - 13.
I. - - -		Generalia	14 - - 17.23.
		Judicia	18 - 22. 44.
		Jus publicum	24-43.46.47.
		Judicia -	44.45.48-54
		Jus publicum	55 - 58.
II. - - -	(2.)	Judicia -	1. 2.
		Contractus	3. 4. 5.
III. - - -		Judicia	6 - 18.
IV. - - -		Generalia -	19. - 54.
		Judicia -	55 - 58.
V. - - -	(3.)	Judicia -	1 - 27.
		Successiones	28. - 31.
VI. - XI. - -		Realia - -	32 - 38.40.44.
		Judicia -	39.
XII-XIX. } XXI.XXII. }	(4.)	Contractus -	1. - 9.
		Generalia	10 - 17.
		Contractus	18.
		Judicia -	19 - 22.
		Contractus	23 - 58.
		Publica	59 - 63.
		Contractus	64 - 66.
XXIII. - } XXVII. }	(5.)	Personæ -	1 - 52. 54 - 75.
		Judicia -	55.

XXVIII.

XXVII
 XXXII
 XL.
 XLI.
 XLII.
 XLIII.
 XLIV.
 XLV.
 XLVI.
 XLVII.
 XLVIII.
 XLIX.
 L.

XXVIII. } (6) Personæ - 1 - 8.
XXXVIII. }

Successiones 9 - 37. 39 - 62.
Generalia 38.

XL. - - (7) - Personæ - 1 - 24.

XLI. - - - Realia - 25 - 41.

XLII. } - Judicia 42. - 75.

XLIX. }

XLIII. - (8) - Realia - 1 - 10.

Publica - 11 12.

XX - - - Realia - 13 - 34.

XLIV. - - - Generalia 35.

Judicia - 36.

XLV. XLVI. - - Contractus 37 - 45.

Personæ - 46 - 48. 51.

Jus publicum 50.

Generalia 52.

XXXIX. - - Contractus 53 - 55.

Successiones 56 - 58.

XLVII. } (9) Delicta

XLVIII. }

(10) Publica.

XLIX. L. } (11.) Publica.

(12) Publica.

50(0)50

SCHEMA III.

Sub signo. ☿
pertinet ad §. 65.

Speculum Legum Confusarū,

Exhibitum in *Tit. Dig.*

DE PROCURAT.

Vulgaris ejus Tituli ordo huc redit.
ponitur in *Lege 1.* Definitio, Objectū, modus causandi, Finis, modus causandi. *Lege 2.* subjectum, modus causandi, Subjectum. *Lege 3.* Objectum, tempus *L. 4.* tempus. *Lege 5. 6. 7.* modus causandi, *L. 8:* Efficiens, modus causandi, Subjectum. Effectus. Contrarium. *L. 9. 10. 11.* Contrarium. *L. 12. 13.* Contrarium & Effectus. *L. 14. 15.* Effectus contra Procuratorem, pro Adversario. *L. 16.* Contrarium, Effectus pro Domino contra Procuratorem. *L. 17.* idem. Effectus pro Procuratore. *L. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24.* idem. *L. 25. 26.* modus effectuandi. Effectus pro Domino

mino

mino contra Procuratorem. 27. Effe-
ctus contra Dominum. modus effe-
ctuandi. Effectus pro Adversario. Effe-
ctus pro Domino contra Adversarium.
L. 28. idem. L. 29. Effectus pro Adver-
sario contra Dominum. L. 30. Effect.
pro Procuratore contra Adversarium.
Lege 31. effect. pro Adversario contra
Procuratorem, & pro Procuratore
contra Dominum. Subjectum, mo-
dus causandi, contrarium. L. 32. mo-
dus causandi. L. 33. efficiens, subjectum.
efficiens. subjectum, cognata. L. 35. 36.
37. 38. Effect. contra Procuratorem. L.
39. Idem. modus causandi. L. 40. obje-
ctum. modus causandi. cognata. L. 41.
Subjectum. L. 42. Objectum. Effect.
pro & contra Dominum & Procurato-
rem. Subjectum. Efficiens. Cognata.
L. 43. Efficiens. subjectum. Efficiens,
Effect. contra Procuratorem. L. 44. idem
L. 45. Idem. Efficiens. Effect. contra
Procuratorem. L. 46. Efficiens, modus
causandi, cognata. Effect. pro Domino
contra Procuratorem. Effect. pro Pro-
curatore, contra Dominum. Subjectū.
L. 47.

L. 47. 48. Subjectum. Effectus pro Procuratore contra Adversarium. L. 49. Effect. pro Adversario contra Dominum. L. 50. Effect. pro Domino contra Adversarium, L. 51. cognata. L. 52. 53. 54. 55. Effect. pro Procuratore contra Dominum. L. 56. Effect. pro procuratore contra Adversarium. 57 Effect. pro Procuratore. L. 58. idem. L. 59. idem. L. 60. idem. L. 61. Effect. pro Adversario contra Procuratorem. L. 62. Effect. pro Procuratore, contra Adversarium. L. 63. idem L. 64. cognata. L. 65. modus causandi. L. 66. Effect. contra Dominum. L. 67. Effect. contra Procuratorem. L. 68. Effect. pro Domino contra Adversarium. L. 69. Effect. pro Domino. L. 70. cognata. 71. Objectum & Efficiens. L. 72. Effectus pro Domino contra Adversarium. L. 73. Effectus pro Adversario. L. 74. Efficiens. L. 75. modus causandi. L. 76. cognata. L. 77. idem, L. 78. idem. Effect. pro Procuratore contra Adversarium.

F I N I S.

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

